



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 53. Pauliciani conversi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

§. LIII.

Pauliciani conversi.

Sæcul. XII.

A.C. 1118.

Præter illa, quæ de Bogomilis, pœna *Sup. §. 10.*
 affectis, suo loco retuli, Alexius Im- *Zonar.*
 perator sub finem Regni sui, etiam ad *XVIII. n.*
 inquirendos & convertendos alios simi- ^{26.}
 lis farinæ Hæreticos animum adjecit, sci- *Anna Comn.*
 licet Paulicianos, quos olim Joannes Zi- *lib. 14. p. 450.*
 misces Imperator ex Asia in Thraciam ad
 confinia Philippopolis transtulerat, illis
 Imperii finibus contra Scytharum incur-
 siones præsidium. Sed hæc Manichæo- *Sup. l. LVI.*
 rum progenies, nulli Domino parere ^{§. 24.}
 assueta, brevi ad ingenium rediit. Ca-
 tholicos illius regionis pervertebant, eo-
 rum domos diripiebant, tyrannorum
 more divexabant; quam pestem juncti
 alii quoque Hæretici, Armeni & Jacobi-
 tæ augehant. Alexius Imperator Pauli-
 cianos partim sine armis, partim vi sibi
 subjectos ad fidem Catholicam perduce-
 re conatus est. Cum præcipuis eorum
 a prima luce usque ad vesperam, non
 nunquam etiam in multum noctis disse-
 rebat, præsentibus Eustrato, Episcopo
 Niceno, & Philippopolitano. Nicepho-
 rus quoque Bryennius Cæsar, Imperatoris
 gener, his colloquiis intererat. Com-
 plures Manichæorum istorum ad veram
 Religionem conversi & Christianis Sacris
 iniciati sunt; sed Culeon, Cusinus &

B b 5

Pho-

Sæcul. XII. Pholus, nefariæ Sectæ capita, temere re-
A.C. 1118. pugnabant, atque cum Imperatore dispu-
tantes alter alteri succedebant. Imper-
ator, abjecta spe, eorum pertinaciam ex-
pugnari posse, Constantinopolim missos
carceri includi iussit.

Ipse in illa Regione permanens, jam
una die centum, jam plures, & tandem to-
tas urbes pagosque, ad veram fidem per-
traxit. Incolarum primoribus præfectoras
in exercitu suo dedit, plebem vero
in unam urbem, quam condidit, collegit,
agrosque, quos colerent, divisit. Constan-
tinopolim exinde reversus tres Hæretico-
rum Duces iterum disputando aggredi-
tur; & Culeon quidem vietas manus de-
dit, alii duo perpetuo carcere damnati
pervicaciam luerunt.

§. LIV.

Alexii Constitutiones.

Jus Græco Constitutiones complures de Causis Ec-
Rom. lib. II. clesiasticis ab Alexio Comneno editæ
p. 121. &c. nobis supersunt. Prima, mense Septem-
bri, Indictione nona, id est, anno millesimo
octogesimo sexto data est, in qua
Decretum Isaaci Comneni patrui sui con-
firmat. In ea vero Canonicum Episco-
porum & jura Ordinationis statueban-
tur. Canonicum dicebatur, pretium
Primitiarum, quas Laici quolibet anno
Episcopis conferre obligabantur, in hunc
modum: